

1/99

IDIBVS IVNIIS

MCMXCIX

VARIVS
TOR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
TOR VARIVS
A IDIBVS

TOMVS 22

FASC. 127

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann** publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	27.--
In ceteris Europae terris	sFr.	32.--
In terris trans maria sitis	US\$	30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:
Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann** publicity
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg

INTERNET:

e-Mail: 113376.1317@compuserve.com

Homepage:

http://www.friends.bbb.ch/macliga/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei **aeschlimann** publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Aufgabe: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	27.--
Europa	sFr.	32.--
Übersee	US\$	30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:
Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout: Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann** publicity
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg

INTERNET:

e-Mail: 113376.1317@compuserve.com

Homepage:

http://www.friends.bbb.ch/macliga/rumor_varius

Institutum pecuniarium:


UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Nuper ea nocte, quae Kalendis Maiis antecedit, illae vigiliae Sanctae Valpurgis fuerunt, qua nocte magae ex omnibus regionibus in illum montem Theodisce 'Brocken' appellatum, qui in montibus Harticis (Harzgebirge) in Germania situs est, ad magna festa magica agenda everriculis vectae convenire dicuntur.



Casu hoc anno illa nocte luna plena erat. Quibus noctibus lunae viribus lupi canesque ululare, homines insomnia vel appetitione somnambulationis opprimi, plures infantes quam ceteris temporibus nasci, herbae egregie magicae carpi posse et alia mirabilia fieri feruntur.

Quomodocumque eae res se habeant, equidem neque magas everriculis per aërem volantes vidi neque insomnia vexatus sum neque

somnambulibus occurri vel ipse somnambulus per vias erravi et super domorum tecta migravi (quod sciam...).

Sed illius poetriae Graecae celeberrimae nomine Sapphus, quae saeculo septimo fere a.Chr.n. in insula Lesbo vixit, recordatus sum. Ex carminibus eius pauca tantum nobis tradita sunt. Tamen ea fragmenta miro modo animas nostras movent, velut illa, quibus Sappho de festis et conventibus nocturnis sub luna vel astris narrat. Ecce haec exempla (Imperfecta translatio Latina scilicet longe abest, ut versibus poetriae ipsius par esse possit. Metrum imitari non conatus sum):

**Αστερες μὲν ἀμφὶ κάλαν σελάνναν
ἄψ ἀπυκρόπτοισι φάεννον εἶδος,
ὄπποτα πλήθοισα μάλιστα λάμπη
γᾶν (ἐπὶ παῖσαν)*

..... ἀργυρέα

Astra circum pulchram lunam
iterum abscondunt fulgentes facies,
cum plena maxime clara lucet
super terram totam,
.....argentea...

vel illa, quibus forsitan Sappho caerimoniam nocturnam Veneri deae descripsit, quam cum virginibus suis agebat:

*Πλήρης μὲν φαίνεται ἡ σελά(ν)να
αἱ δ' ὡς περὶ βῶμον ἐστάθησαν*

plena lucebat luna,
cum illae circum aram stabant...

Ut nihil nisi fragmenta sint, tamen animas nostras somniis iucundis de noctis aestivis insulae Lesbi imbuere possunt, si phantasia utimur. Noctibus lunae plenae vel astrorum lucentium fruamini, de festis nocturnis, de noctibus tepentibus somnietis, cari legentes!

Valete!


Daniel Weissmann

ERRATA

In proverbii Hispanicis libelli 5+6/98 parva perturbatio in duas sententias traducendas irrepsit! Veniam erroris petimus.

In versibus 7-10 paginae 133 illius libelli recte scribi debuit:

En el mejor vino hay heces.

In optimo vino **faex** est.

*

El primer paso es el que cuesta.

Gradus primus **difficillimus** est.

ERRATA II

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
5+6/98	127, lin. 23	difficior	difficilior
	128, lin. 6	de dicam	ne dicam

De mirabili mutatione nuntii intra fabricam divulgati

Nonnumquam accidit, ut nuntii, qui a direttore fabricae vel officinae exeuntes per varios socios operis – per alium ad alium – traduntur, mirabili modo mutantur, donec ad operarios perveniunt. Quae mutandis mutatis in omnibus locis accidere possunt, si suprapositi nuntios ad inferiores tradi iubent. Saepe director vel moderator stupefactus esset et dicta sua non iam recognosceret, si ab operariis suis audiret, quae se dixisse feratur. Ecce hoc exemplo, quomodo nuntius directoris alicuius fabricae, qui operariis occasionem solis defectionis spectandae dare vult, in via per fabricam mirabili modo mutatus tandem ad operarios perveniat: (Praeterea die 11° mensis Augusti huius anni revera defectio solis in nostris regionibus observari potest!)

Dicit

Director ad praepositum technicum (1):



"Cras hora nona defectio solis erit, eventum igitur, quod non omnibus diebus observari potest. lubeas igitur, quaeso, fabricae socios et operarios labore desinere et - tales, quales sunt – id est indutoriis (2) vestitos in aulam fabricae convenire. Ad observationem eius rei raro evenientis nonnulla explicabo. Sin pluat, eam rem non bene spectare poterimus. Si id accidat, in cantunam (3) nos conferemus."

Praepositus technicus

ad

suppraepositum
superiorem (4):



"Directoris iussu cras hora nona defectio solis habebitur. Si pluat, id indutoriis vestiti in aula fabricae non bene spectare poterimus. Si id accidat, defectionem solis in cantuna commitemus; eventum igitur, quod non omnibus diebus observari potest."

Suppraepositus
superior

ad

Suppraepositum (5):



"Directoris iussu cras hora nona indutorio vestiti in cantuna defectio solis perficietur.

Director iussum dabit, num pluat; eventum igitur, quod non omnibus diebus observari potest."

Suppraepositus

ad

operarium praepositum (6):



"Si cras in cantuna pluit – aliquid ergo, quod non omnibus diebus observari potest – hora nona director noster evanescet indutorio vestitus."

Operarius praepositus

ad

collegas suos:



"Cras hora nona director noster evanescere dicitur. Dolendum est, quod id non omnibus diebus observari potest!"

- 1) praepositus technicus, -i -i m Betriebsleiter/ chef d'entreprise/ direttore di fabbrica/ director técnico/ works manager
- 2) inditorium, -i n Arbeitsanzug/ tenue de travail/ abito da lavoro/ mono (de trabajo)/ working clothes
- 3) cantuna, -ae f Kantine/ cantine/ mensa/ cantina/ canteen
- 4) suppraepositus superior, -i -oris m Hauptabteilungsleiter/ chef de service principal/ caposezione principale/ jefe de sección principal/ principal pal head of departement
- 5) suppraepositus, -i m Abteilungsleiter/ chef de service/ caposezione/ jefe de sección/ haed of departement
- 6) operarius praepositus, -i -i m Vorarbeiter/ contremaître/ caposquadra/ capataz/ foreman

Daniel Weissmann

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (omnino XVII fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium: secundum praemium: tertium praemium:

Max S.Müller-de Vries
Chapfstr. 394
8214 Gächlingen

P. Maximilien Sauge
Cordeliers / CP 16
1702 Fribourg

Laura Mercolli
Kastanienweg 63
3095 Spiegel

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

1	2	3	4	5	6	7	8	9			
M	E	D	I	O	L	A	N	U	M		
10	A	U	R	O	R	A	E	11	D	A	
12	E	R	A	13	A	U	D	E	14	A	T
15	C	I	C	16	A	T	R	I	X	17	R
17	E	P	O	N	A	E	18	U	T	19	I
20	N	I	N	I	21	A	P	I	U	M	
23	A	D	E	M	I	22	A	24	N	O	
25	T	E	M	O	26	N	U	M	E	N	
E	28	V	E	L	U	T	I				
29	30	M	A	U	R	I	T	A	N	I	A

SOLUTIONES

Ecce solutio aenigmatis libelli 4/98:

1	2	3	4	5	
P	A	U	L	A	
2	A	R	D	O	R
3	U	D	O	N	I
4	L	O	N	G	O
5	A	R	I	O	N

1. non multa
2. amor vel affectus
3. vestitus pedis (Dat.sg.)
4. diuturno
5. poeta Methymnaeus, qui a delphino e piratis servatus esse dicitur

Daniel Weissmann

Euripidis 'Troades' hodieque multum valent

Euripidis poetae tragoedia nomine 'Troades' de sorte miserrima mulierum urbe Troia a Graecis capta agit.

Drama hoc quoque aetatis nostrae esse videtur. Ioannes Paulus Sartre, poeta philosophusque praeclarus Francogallicus, fabulam antiquam modo suo tractavit.

Fere triginta annis ante Lutetiae Parisiorum spectaculum oculis primum praebuit. Ludum 'Oratorium' nominavit. Sartre praecipue ad quaestionem civitatis gerendae accedit. Damnat bella expeditionesque in colonias factas. Bella neque victores neque victos relinquunt. Graeci, Troia deleta, victoria frui nequeunt. Ultione deorum interibunt. Poseidon deus tragoediam concludit verbis his: "Vos omnes crepabitis."

Europa terra – id est populus Graecus – cupiditate avaritiaque movetur. Conditio Asiae foedatae – id est urbis Troiae – cum rebus gestis in terris

nomine Vietnamia (Vietnam) et Algeria comparari potest. Auctor haud paucas similitudines affert. Ecce nonnulla exempla:

Mulier aliqua: "Patria orbata ero desiderans Asiam.
In Europa vivere et mori necesse est, id est in inferno."

Et Andromache, Hectoris mulier:
"O viri Europae contemnitis et Asiam et Africam.
Nos barbaros creditis, avaritia cupiditateque incitati nos spoliatis, nos in tormenta datis, nos occiditis.
Quis autem verus barbarus est? Vos Graeci humanitate elati estis. Ubi autem est humanitas vestra?"

(J.P. Sartre: Oratorium)

Iam Euripides deos parvi aestimavit. Auctor Francogallicus eos ad ridiculum convertit. Bellum Troicum, opus eorum, nihil affert. Troia deleta Graeci victores ad interitum ruent. Et dei et homines morte communi peribunt.

Barbara Maier

Invitatio Dei

- | | |
|---|--|
| <p>1. Vita umbrosa, pernicioosa quid nobis proderit?
Odium mirum, atrox et dirum num finis noster sit?
Sic haesitantes nos dubitantes quidam invitat iam:
"Ne desperetis, ne ignoretis magnam laetitiam!"
*</p> | <p>3. Si retinemur, ne detractemur, nostrum servitium ne occultemus, sed demonstremus Deum perpetuum.
Si et clamore atque horrore hostes derident nos, nostra sit vita mitis, ut ita trahat maleficos.
*</p> |
|---|--|

2. In officinis atque tonstrinis multi sunt hospites.
Multi discentes et procedentes minus sunt sospites.
Dic laboranti et festinanti:
"Omnia praesto sunt!"
Dic dormienti et quiescenti:
"Tempora prodeunt."
*

4. Sed sic viventes Deum colentes qua re nanciscimur?
Vita beata iam est parata, si Deum sequimur.
Iamne cantare et celebrare hodie possumus?
Terram novandi et recreandi Deus est cupidus.
*

*Verba repetenda (Refrain): Deus ad festum magnum nunc vocat nos.
Hoc et, quicumque itis, o scitote vos!
Deum vocare constat et ceteros.
Cur exspectemus? Nunc properemus!
Cantica cantet os!


In Latinum vertit: Martin Meier

Modus carminis 'Invitatio Dei'

The musical score is written in G major (one sharp) and 4/4 time. It consists of eight staves of music. The first six staves are the main melody, and the last two are a refrain. Chord symbols (G, A, B, C, D, E, F#) are placed above the notes. The refrain is marked 'R: (Verba rep.)'.

"Naturam expellas furca, tamen usque recurret"

(Horatius, Epist. I, 10, 24)



aeculo XIII^o ineunte accidit rem in Britannia maiore satis divulgatam. Erat in Comitatu Claudii Caestriae silva venatoria, apris, cervis omni que venatione secundum Angliae conditionem copiosa. In huius nemoroso saltu erat monticulus ad staturam hominis in apicem exurgens, in quem milites alique venatores ascendere consueverunt, cum aestu ac siti fatigati aliquod instantiae suae quaerebant remedium. Verum ex loci ac rei conditione, relictis a longe sociis solus quirivius ascendit, cumque solus quasi ad alterum loquens

diceret: sitio, statim ex improvise latere propinator adstabat celebri cultu, vultu hilari, manu exposita cornu grande gestans, auro gemmisque ornatum, sicut apud antiquissimos Anglos usus habet. Vice calicis nectar, ignoti sed suavissimi saporis offerebatur, quo hausto, totus calescentis corporis aestas et lassitudo fugiebat, ut non laborasse, sed laborem arripere velle quis crederetur. Sed et sumpto nectare minister mantile ad ora siccanda porrigebat, et expleto suo ministerio disparsens nec mercedem pro obsequio, nec colloquium pro inquisitione expectabat. Hoc multis annositatis antiquae curriculum apud vetustissimos celeberrimum ac quotidianum agebatur: cum uno aliquo die miles in civitate illa venator illuc accessit, et postulato potu et sumpto cornu, non illud, ut consuetudinis ac urbanitatis erat, pincernae restituit, sed ad proprium usum retinuit. Verum Dominus et Comes illustris Claudii castris, compta rei veritate morte damnavit praedonem, et cornu illud excellentissimo Regi Henrico vetustiori donavit, ne tanti fautor mali fuisse censeretur, si domesticae proprietatis thesauro rapinam alienam congressisset.



Rettulit Stella Gitta

Facete lepideque dicta

"Mehercle, medice! Marito meo falsum, crede, medicamen dedisti. Ei enim, cum stomachus dolet, hyalus vini sumendus est." – "Ita est, domina. Sed cur hoc falsum sit?" – "Antea, mi medice, tertia modo quaque septimana stomachus dolebat, hodie autem unaquaque hora!"

Venditor aspiratorum (1) mulieris cuiusdam domicilium intrans pulveris et intertrimenti copiam magnam humum iacit atque "Ne timeas, domina", inquit, "quia, quaecumque humum ieci, aspiratro meo optimo omnino depurgabo. Si non, totam hanc pulveris copiam comedam!" Mulieri tunc culinam intraturae venditor dicit: "Cur abis? Num spectare vis, quo modo aspiratrum laboret?" Ad quae mulier: "Salem et piper arcessam, ut facilius comedas. Nam hodie fluentum electricum (2) apud nos repressum est."

Cum in schola rurali plures discipuli quam scamni sint, nonnulli discipuli humi sedent. Parocho e discipulis quaerenti "Cur in terra sumus?" Fridericulus respondet: "Quod scamni non sufficiunt."

Media in urbe autocineta provehi non possunt. Iuvenis quidam maxime excitatus bucinat (3) quam si mente esset captus. Tunc virgo familiariter: "Num quid aliud in diem natalem accepisti ac bucinam tuam?"

E nave luxuriosa vir quidam Mari Caribico incidit. Desperantes ceteri navigantes aspiciunt, quo modo ille cultro se contra squalum voracissimum defendat. Vir autem nobilis Anglus tandem vociferatur: "Pudeat te, domine: Piscem cultro comedere nefas!"

Amica amicae: "Maritus meus est vir vere felix: Heri assecurationis indemnitate (4) contractum subscripsit et hodie autocineto obtritit est!"

Sabrina et Alexandro navigantibus navis subito procella corripitur et submergitur. Uterque in insulam parvam neque cultam propellitur. Sabrina queritur: "Nisi navis mox nos invenerit et servaverit, certe fame peribimus!" Alexander autem amicam consolatur: "Noli desperare, corculum: Tesseram meam creditoriam (5) mecum habeo!"

Periegeta (6) aream stativam (7) desperanter quaerit. Cum tandem aliquam repperit, ingemens secum dicit: "Hoc tandem factum est. Nunc mihi investigandum erit, qua in urbe sim."

Uxor: "Vicinus uxorem suam, cum bene mane domo abit, osculat. Cur tu non pariter agis?" Maritus: "Cur pariter agam? Mulier illa mihi vix nota est."

Hospes novus ministram lentam miratur. Alius hospes: "Certe cena nobis diu exspectanda est, sed libenter exspectamus. Cibi enim sunt horribilissimi!"

Martin Meier

1) aspiratrum, -i n	Staubsauger
2) fluentum electricum, -i, -i n	Strom
3) bucinare 1 bucina, -ae f	hupen Hupe
4) assecuratio, -tionis (f) indemnitas	Unfallversicherung
5) tessera creditoria, -ae -ae f	Kreditkarte
6) periegeta, -ae m	Tourist
7) area stativa, -ae, -ae f	Parkplatz

Spes temere concepta

In hoc coenobio (1) bonis dicato
doctrinae studiis, Camillus ille,
qui semper fuerat priore lustro (2)
cunctis ludibrio vaftris amicis,
nunc tandem esse putatur haud ineptus.
Hic vero ingenium probatur acre
necnon plauditur inclitae loquela.
Non iam spernitur os perenne russum,

nec in pinguiculas genas frequenter
saevitur: placidam trahit serenus
vitam, praeteritae immemor repulsae (3).
Quod numquam acciderat, sui iuvenum
invenit similem, parem cerebro
gnave vividiore, cui gradatim
secretam patitur patere mentem:
e binis animis fit una sensim.
Recte, si maribus bene educandis
esset haec domus instituta solis;
ast ne ullum fieret ferum puellis
discrimen placuit recenter illic.
Quaedam nana cati utrumque temptat
loquax artibus usa: firma vincla
solvuntur subito, subitque discors
diffidentia, quae rumore crescit.
Paulisper meditata, tum pusilla
insuavis mulier dat anxiorum
responsum legulis (4) scholasticorum:
quo audito simul orbus est Camillus
concordi socio diu petito
ac spe quam temere suoapte corde
foverat breviter novelli amoris.

(Metrum: Catulli hendecasyllabi)

- 1) Italice: collegio universitario; Francogallice: pensionnat universitaire; Theodisce: Internat.
- 2) Scilicet, dum apud lyceum in humanitatis studia incumbit.
- 3) Numero singulari complures significantur repulsae, quas a puellis passus est, quarum amore captus erat.
- 4) id est: auribus

Orestes Carbonero

Quies apud Potomacum fluvium

Potomacus fluvius terminus est inter Virginiam et Mariae Terram (Maryland), duas enim civitates Americanas. Cum Bellum inter Civitates Gestum (bellum civile) saeviretur, per complures menses utriusque exercitus milites suam quique Potomaci ripam tenebant neque in alteram progredi audebant. Tunc, cum aliquis "Quid novi?" interrogaret, responsum ei dari solebat: "All quiet along the Potomac!" Simili modo bello primo mundano furente dicebatur: "Nil novi in occidente!"

Quies apud Potomacum fluvium

Quieti se dat Potomacus, nil fit,
ni quilibet miles est ictus
missili latente ab hoste, dum it
vigilanter officio frictus.
Nil est caesus miles, et duo nil sunt,
qui mane non numerabuntur.
Simplices sunt tantum et duces non sunt,
sic oblivioni traduntur.

Quieti se dat Potomacus, nil fit,
sed somniant milites cuncti,
tentoria lunae cum lux impleat,
per somnia caris coniuncti.
Calorem dant ignes et folia tunc
nocturnus boreas depellit,
custodiunt stellae sed belligeros
nec dira mors quemquam evellit.

It vigil tum solus, ne quid accidat,
a rupe salubrem ad fontem
suorum memorias volvens cum se,
remotum qui incolunt montem.
Fit tenera, torva quae aliter est
effigies eius, cum orat:
"Propitius, Deus, sis illis et mi!"

All quiet along the Potomac tonight

All quiet along the Potomac tonight,
except here and there a stray picket
is shot as he walks on his beat to and fro,
by a rifleman hid in the thicket;
'tis nothing a private or two now and then
will not count in the news of the battle:
Not an officer lost, only one of the men,
moaning out all alone the death rattle.

All quiet along the Potomac tonight,
where the soldiers lie peacefully dreaming,
an their tents in the rays of the clear autumn
moon,
and the light of the camp fires are gleaming.
A tremulous sigh, as the gentle night wind,
through the forest leaves slowly is creeping,
while the stares of above, with their glittering
eyes,
keep guard o're the army while sleeping.

There's only the sound of the lone sentry's
tread,
as he tramps from the rock to the fountain,
and thinks of the two on the low trundle bed
far away in the cot on the mountain.
His musket falls slack an his face, dark and
grim,

Sic omnipotentem implorat.

Ausculata! Quid est? Ventus num agitat
arbustos? Num luna effulsit?
'Sclopetum est, crepat, est actum de me!
Sic cogitat, quem ictus mulsit.
Quieti se dat Potomacus, nil fit,
quietum et perfluit flumen,
in molliter caesum dum ros incidit,
cui lucet caeleste iam lumen.

grows gentle with memories tender,
as he mutters a prayer for the children asleep
and their mother: "May heaven defend her."

Hark! - Was it the night wind that rustles the
leaves?
Was it the moonlight so wondrously flashing?
It looked like a rifle! Ha! Mary goodbye!
And his lifeblood is ebbing and plashing.
All quiet along the Potomac tonight,
no sound save the rush of river,
while soft falls the dew on the face of the dead;
the picket's off duty for ever.

Martin Meier

Mortuus est Iosephus Ijsewijn, professor academicus Lovaniensis, vir vere Latinus

Ante diem V Kal. Dec. 1998 in nosocomio Lovaniensi (Lovanium: Löwen) vita functus est Iosephus Ijsewijn Belga, natus Suinotriacti (quod oppidulum Antverpia, nobili Europae emporio, non procul distat) exeunte anno 1932, professor academicus Lovaniensis humanissimus atque eruditissimus idemque lumen Latinitatis recentioris quo clarius hacce aetate fulsisse non facile crediderim. Nam sive Latine scribebat (scripsit autem inde ab adolescentia atque id quidem tam eleganter, ut nemini cesserit ac Latinus universitatis Lovaniensis scriptor mox evaserit), sive in scripta Neolatina incumberebat (quae in deliciis tantopere habebat, ut sescentis commentationibus editionibus, libris divulgatis ornaverit ea et illustraverit), sermonem illum Romanum et litteras numquam non feliciter colebat, excolebat, e tenebris in lucem usque promovebat. Cuius viri doctissimi et in re Neolatina oracularis docta opera enumerare facile supersedeo singula, hoc uno contentus: ille est enim qui *Amillam Neolatinitatis* seu, Anglice ut dicam, *Companion to Neo-Latin Studies* (1977¹; 1990-1998²), opus omni laude dignum, conscripsit ediditque in lucem.

Iam in eo erat, ut vir de re Neolatina optime meritus in otium concederet cum dignitate; vetuere Parcae; nam exeunte mense Septembri huiusce anni vix rude erat donatus, cum tumor quidam malignus cancrino modo latius serpens corporis vires iam debilitatas quasi pugno quodam immani perfregit. Reliquit heu desiderium sui cognatis, familiaribus, collegis, viris rei Neolatinae peritioribus. Nos, cum commentariorum quos ipse condiderat, q.t. *Humanistica Lovaniensia*, volumen hornum prelo iam exisset compactorumque esset in manibus, facere non potuimus quin monumentum hoc parvum maximi viri in memoriam maesti scriberemus et commentariis eis insereremus.

Theodericus Sacré
Prof. acad. Lovaniensis Belga

Nocturnum exeuntis anni 1998

Candide, laete leviterque vivum
lumen agnosco peramabile in me,
tota dum fit nox radiosa nobis
terra stupenda,

terra ubi res sunt novitate clarae
clara et est omnis veneranda vita,
vita naturae reditura pura
pectus in imum.

Imus atque excelsus ego sub ampla
luce lunari leviore in horas
somnia aurorae redeuntis horam
principiumque

solis atque anni incipientis omen,
gaudii noti – tua dona, mater,
quae manes mecum tenere superstes
ac benedicens.

Iosephus Tusiani Neo-Eboracensis
mense Decembri anno 1998

FERIAE LATINAE FERIGOLETENSES

17 - 24. VIII. 1999

FERIAE LATINAE, quae ab anno 1987° ad annum 1998um Nicaeae celebratae sunt, anno 1999° in Abbatia Sancti Michaëlis Ferigoletensis a die decimo septimo mensis Augusti ad diem vicesimum quartum ejusdem mensis habendae erunt.

Illa Abbatia, cujus in Deversorio tecti erimus, in Provinciae parte maxime Romana sita est, inter urbes Avennionem, Tarasconem, Arelate, Cabellionem. Quod Deversorium commoditates varias pro pretio honesto praebet, quae minutius in folio invitatorio, describendae erunt. quod ante mensem januarium exeuntem distribuere posse speramus.

De accessu quoque documentum idoneum edendum erit. Nunc autem primum scire oportet Avennionem (c.a. 20 km. a Frigolet) et stationem ferroviariam et aëriportum adesse.


Qui plura scire cupiunt, ea rogent a :

Clément DESESSARD
Résidence des Collines C.9.
500, rue Léo Brun
F-06210 MANDELIEU

vel a : Jean Claude CHAMPEAU
121, chemin des Moulins supérieur
F-06510 GATTIERES

Tel. 04 93 49 01 91

Tel. 04 93 29 17 02



Seminaria «Latinitatis vivae» Helveticum Morsacense

67. Morsācī [*Morschach*] in Helvetiā, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pagorum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur. Hōc autem annō seminarium nostrum non instituetur in «Domo Antoniana», cum ibidem structurae quaedam sint mutandae, sed in deverorio, cui nomen est «*Hotel Bellevue*» et in quo etiam multae commoditates inveniuntur.

25.7.-31.7.1999

Sunt autem seminaria nostra «*Latinitatis vivae*» prima huius generis, quae inde ab anno 1973° intra Germaniam et extra instituebantur.

Interea vero alibi quoque complura seminaria quaedam offeruntur, ubi praeter alia non paucae acroāses qualitatis variae fiunt. Sed in nostris seminariis participes singillatim inducuntur, ut *Latine loquantur*, id quod in scholis vel alibi vix fit. Sententiae autem et locutiones necesse est sint *vere Latinae*. Itaque etiam neologismi, id est verba novata, sint coloris vere Latini, ut et pronuntiatus vere Latinus proponitur et exercetur. Harum rerum problemata suscipiuntur solvenda, cum necessarium sit, ut etiam de condicionibus rebusque temporis nostri bene convenienterque loquamur. Maximi tamen momenti est ipse *usus linguae Latinae* iugiter indesinenterque exercendus.

Morsacense seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive, si tardissime duobus mensibus ante initium, ad

Societatem Latinam
Universität - FR 6.3
Postfach 151150
D - 66041 Saarbrücken

anno 1999° futura et Belgicum Brugense

68. Alterum seminarium Latinitatis vivae hoc anno locum habebit Brugis [*Brügge*] in Belgica. Ibidem participes excipientur in Collegio Sancti Leonis, cuius aedificium circiter ante unum saeculum exstructum iuxta tranquillum euripum situm est. Tamen non longe abest ab ipsa urbe vetere, in qua permulta visu dignissima inveniuntur.

7.8.-14.8.1999

Themata autem, quae in seminariis tractantur, sunt et hilaria et seria, et cottidiana et scientifica, et historica et hodierna.

Denique moderator horum seminariorum erit *Dr P. C. Eichenseer*, qui iam ab anno 1973° talia seminaria suscepit prosperrime moderanda, quippe qui esset Latinitatis omnium aetatum vere peritus. Eius cooperatrix, *D.rix Sigrides Albert*, iam ex compluribus annis eos imprimis, qui primum adsunt, sed etiam alios, delectabiliter diligenterque in consuetudinem Latine loquendi inducit et occasionibus specialibus datis cum iis, quorum talia intersunt, textūs Latinos (sed plerumque humanisticos et posthumanisticos) legit, interpretatur atque de iisdem colloquia instituit.

Denique pro ipsa *institutione unius septimanae* 170 marcae Germanicae solvendae sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam (pecunia pro pernottatione et victu in deverorio ipso solvenda est):

VOX LATINA
18353-661
Postbank Saarbrücken
BLZ 590 100 66 (BR Deutschland)

Brugense seminarium Belgicum qui volunt participare ratione epistulari vel telephonica adeant satis mature D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem:

M. le Docteur Guy Licoppe
Avenue de Tervueren, 76
B - 1040 Bruxelles

SOCIETAS LATINA

Auxilium ferte, amici legentes!

Gymnasia adhuc et reliquae scholae Romanorum sermonem docentes me

linguae Latinae magistrum

recusabant, quod, quamvis fluenter Latine scribendi nec non loquendi testimonia variis iam locis dedissem, diplomata, quae ad hunc laborem exercendum strictissime necessaria esse videntur, i.e. licentia docendi universitaria et diploma magisterii superioris, quod dicitur, mihi ad manum non erant.

Quae autem res maxime deplorabilis mox in melius mutabitur, quod

mense Iunio anno MM^o,

si Deus voluerit, talia diplomata mihi non iam deerunt. Munere enim, quo hic per novem fere annos fungebar, ex improvise expulsus atque ab uxore mea dulcissima instanter monitus, ut studia mea Latinitatis et historiae olim incohata, sed - pro dolor! - numquam finita tandem perficerem, Bernam ad universitatem litterarum me conferre dictaque studia perficere decrevi.

Sic anno MM^o scholae non iam impediuntur, quin me **magistrum linguae Latinae** acceptent. Rogo ergo et obsecro vos, amici hoc legentes, imprimisque vos, o scholis praefecti, ut, si quid de munere anno MM^o vacante sciatis, me certiore faciat! Familia enim mihi nutrienda est. Vobis imo corde me linguam Latinam non modo satis scientifice, sed etiam attrahente modo docturum esse polliceor. Quis enim amorem Latinitatis melius in discipulos inferat nisi, qui ipse eius amore ardeat atque eam linguam non mortuam, sed vivam consideretur?

Itaque nolite cunctari, quin mihi scribatis vel telephonetis. Inscriptio cursualis mea est haec: **Martin(us) Meier, Etselwerkstrasse 5, 8852 Altendorf.** Numerus telephonicus (simulque telefaxicus): 055 / 442 91 86.

- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

_____ <-----

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Rosenweg 7
8353 Elgg

PP/Journal

4702 Oensingen

1/99

IDIBVS IVNIIS

MCMXCIX



TOMVS 22

FASC. 127